



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Vercellensi & Abbatи de Lucedio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ritis adjuvari. Datum Laterani &c. pontificatus nostri anno secundo.

*EPISCOPO VERCELLENSI
& Abbati de Lucedio.*

*Epist. 295.
Eis committit-
causa quæ-
dan Mediola-
nenſis.
Vide To. iv.
ital. fac. pag.
1689.*

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilis fratri Vercellensi Episcopo & dilecto filio Abbati de Lucedio salutem & apostolicam benedictionem. Cùm causam quæ inter dilectos filios Abbatem & monachos ex una parte, & Praepositum & Canonicos sancti Ambrosij Mediolanensis ex altera, super interdicto & quibusdam aliis vertitur, procuratoribus partium apud sedem apostolicam constitutis, de voluntate ipsorum dilectorum filiis I. Archidiacono Mediolanensi, sancti Iohannis Papiensis & sancti Iohannis de Trenno Praepositis commis- ferimus terminandam, iphi, quemadmodum nobis suis litteris intimarunt, cùm non possent ad invicem concordare, partes ab observatione sui iudicij absolventes, ad nos negotium integrum remiserunt; quod ab Abbatे & monachis memoratis coram dilecto filio nostro I. tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali, cui partes commisi- mus audiendas, sub forma qua fuerat pri- mis judicibus delegatum, committi personis aliis petebatur; parte altera con- trarium postulante. Quia verò nihil est rationabiliter allegatum quare circa præmissam commissionem de communi partium voluntate imperatam mutare aliquid deberemus, cùm circa negotium ipsum nihil fuerit immutatum, volentes ut finis litibus imponatur, causam ipsum vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus juxta tenorem prioris commissionis in negotio ratione prævia procedatis. Datum Late- rani IX. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno secundo.

*JOHANNI PRIORI
de Mariadura ejusque fratribus tam
præsentibus quam futuris.*

*Epist. 296.
De confirma-
tione privile-
giorum.*

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectorum filiis Iohanni Priori domus quæ est in loco qui Mariadura dic- citur, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quoties à nobis petitur quod rationi & honestati convenire dinoſcitur, animo nos decet li- benti potentium desideriis congruum suf- fragium impetriri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationi-

Tom. I.

bus clementer amuimus, & prædecessorū nostrorum felicis memoriae Calisti, Innocentij, Celestini, Anastasij, Adriani, Alexandri, Lucij, Urbani, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, hospita- lem domum quæ est in loco qui Mariadura vocatur, quam nobilis vir Gandal- fulsus & uxor ejus Gisla beato Petro devotionis intuitu obtulerunt, in qua Domino deservitis, sub beati Petri & nostra protectione sufficiimus & præ- sentis scripti privilegio communimus, statuentes ut præfata domus tam ab E- piscoporum quam aliarum ecclesiastica- rum vel secularium personarum sit gra- vamine libera, & in eodem statu libertatis sub principiis Apostolorum Petri & nostra protectione ac tutela permaneat. Præterea qualcumque possessiones, quæcumque bona, tam ex dono prædicti. Gandalphi & uxoris illius Gisla, quam aliorum Dei fidelium concessione vel oblatione, idem hospitale in præsentiarum justè & canonice possidet, aut in futu- rum Deo proprio rationabiliter poterit adipisci, firma vobis vestrisque successo- ribus & eidem hospitali ad sustentatio- nem peregrinorum ac pauperum Christi firma & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda voca- bulis. Ecclesiam videlicet sancti Leonardi de Caro, hospitale quod dicitur fon- tana Theodorici. Auētoritate quoque apostolica interdicimus ut de laboribus quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino Clericus sive laicus à vobis decimas extorquere præsumat. Ordinationes sanè Presbyterorum vel Clericorum vestrorum à Placentino accipietis Episcopo; si tamen catholicus fuerit, & ea vobis gratis & absque mole- stia voluerit exhibere. Alioquin pro eo- dem sacramento catholicum, quem ma- lueritis, Præfulem adeatis. Libertates præterea & immunitates, necnon anti- quas & rationabiles consuetudines domui vestrae concessas, & haētenus observatas, ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Obeun- te verò te nunc ejusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violen- tia præponatur, nisi Clericus quem fra- tres communī consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundūm Deum provi- derint eligendum. Ad indicium autem

Yyy